Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2249

Quelle:
Copyright:

dieris domine &c. *Neminem censeri ſapientem fateor* &c. Ad aliquam ſacrarum Virginum Antiſtitam dirigi, ex his Prooemii verbis liquet: *Rogo autem beatitudinem tuam mater ſanctiſſima quatenus magis penſes intentionis affectum quam operis effectum* &c. Quae porro pertractantur, Capita ſunt: *De uera ſui ipſius cognitione. De uera humilitate. De perfecta paupertate. De ſilencio et taciturnitate. De ſtudio oracionis. De paſſionis chriſti memoria et de perfecta dei caritate. De finali perſeuerancia.* Ultima ſunt: *donec introducat te in thalamum dilecti ſponſi tui qui cum patre et ſpiritu ſancto* &c. *Bernardo* plurimum utitur pius et gravis Scriptor.

II. *fol.* 9. p. 2. *Incipit tractatulus de Originali peccato.* Initium: *Ego cum ſim cinis et puluis loquar ad dominum deum meum dicens* &c. Autor eſt *Aegidius de Columna* ſ. *de Roma* dictus *Doctor Fundatiſſimus* ex ordine Eremitarum *Auguſtin.* adſumtus ad *Bituricenſes* Infulas et a. 1316. demortuus, in cujus Opp. *Romae apud Ant. Bladum* 1555. T. I. *fol.* 48. p. 2. Tractatus noſter VII. conſtans *Capitibus*, ſolideque ſcriptus legitur. Definit vero: *ut facie ad faciem te uidere poſſimus qui benedictus es in ſecula ſeculorum Amen.*

III. *fol.* 15. praevio Indice alphabetico *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, *de Eccleſia Magiſtri Johannis* (Huſs) *de Huſſynecz.* Initium: *Cum quilibet viator debet fideliter credere eccleſiam ſanctam katholicam ſicut debet diligere iheſum chriſtum dominum ſponſum illius eccleſie* &c. Finis: *et tantum ad preſens relictis alijs in poſterum diſſerendis.* Habetur hic Tractatus in Edit. *Norib. Opp.* 1558. P. I. *fol.* 196. p. 2. ubi in Titulo collectus dicitur a. 1413. itaque biennio ante Autoris ſupplicium. Saepius relatus, ut *Index* docet.

IV. *fol.* 89. *Magiſtri* (Steph.) *Palecz contra reprehenſionem conſilij Octo doctorum.* Initium: *In primis ponunt* (Huſſus cum Suis) *quod fundamentum doctorum ſuper quo fundant omnia ſua ſcripta et conſilia eſt falſum. puta quod quidam clerus in regno Bohemie ſit peſtifer et erroneus* &c. *Stephani de Palecz*, quem *Joh. Huſſus* edit. *cit. fol.* 255. p. 2. *olim amicum et ſocium præcipuum nunc uero captioſiſſimum aduerſarium* adpellat, poſteriora quaedam Scripta indicavi jam *Codd.* variis. Praeſens iſtud anterius eſt et directum contra *Huſſi Refutationem Scripti octo Doctorum*, quae edit. *cit. fol.* 292. p. 2. exhibetur. Octo porro illi Doctores ab *Huſſo* in *Reſponſione ad Scripta M. Stanislai de Znoyma* Praeceptoris quondam ſui edit. *cit. fol.* 265. nominantur: *Stephanus Paletz*, *Stanislaus* mox dictus, *Petrus de Znoyma*, *Joannes Heliæ*, *Joannes Hildiſſen*, *Andreas Broda*, *Hermannus frater Heremita*, *Matthaeus monachus* (Ciſt.) *de Aula regia.* Atque hos inter